

nem effectus, si rite usurpentur *C.* Nempe Deum movent per modum impetrationis, et meriti saltem congrui propter divina promissa, ut det motus perfectæ contritionis, quæ peccata abstergantur. Martyrio quidem possunt peccata remitti sine actu contritionis perfectæ, modo antea retractatum fuerit peccatum actu attritionis, quæ est actus formalis poenitentia, et dispositio sufficiens ad gratiam baptismi suscipiendam. Quod si quis mortem imminuentem præviderit, et peccati lethalis recordetur, sine prævio contritionis perfectæ actu salvari non potest. S. Joan. CHRYSOSTOMUS per compunctionem significat dolorem sensibilem, et per vitæ mutationem non solum propositum futuræ vitæ intellexit, sed etiam convenientem detestationem prioris: nam hom. 42. in Matth. (opp. t. 7. p. 431. A.) ubi eadem remedia ad remissionem peccati enumerat, compunctionem a contritione distinguit, aitque, cor contritum *apprime requiri.*

81. *Obj. II.* Etsi homo cogitet de Deo et peccatis suis, potest tamen concipere actum dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem sufficiat; ergo ad justificationem non opus est formali actu poenitentia.

R. N. Ant. Hæc Medinæ opinio jure ab aliis Theologis rejicitur. Nam poenitentia formalis, quando haberi potest, per se est medium necessarium ad remissionem peccati: potest autem facile exerceri actus poenitentia ab eo qui sua peccata meminit, et bene in Deum est affectus: adeo enim talem Dei amor a peccatorum detestatione non impedit, ut vix a dolore se continere possit, præsertim si peccata sibi nondum remissa esse intelligit.

82. *Colliges 1º.* Poenitentiam insuper ex divino præcepto positivo peccatoribus necessariam esse, demonstrant testimonia Scripturæ in conclusione 1. recitata. Ex aliis item divinis præceptis novimus, hominem teneri ad finem suum ultimum tendere, suamque salutem operari Rom. 6. v. 22. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Eccli. 30. v. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Actus vero poenitentia re aut voto conceptus medium est peccatori simpliciter ad salutem necessarium, ita ut ejus defectum nec ignorantia nec impotentia excuset.

2º. Item *de jure naturali est, quod aliquis poeniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quærat per aliquem modum, et quod etiam aliqua doloris signa ostendat,* inquit S. Thomas q. 84. a. 7. ad 1. Non continetur autem lex ista in præcepto quinto Decalogi, ut putavit Andreas Vega L. 13. in Conc. Trident. Can. 20., quia præceptum illud prohibet tantum læsionem corporis, non animæ. Neque ista sola impoentia, sed quocumque alio peccato interimitur. Melchior Canus in Relect. de Poenitentia part. 3. tradit, obligationem illam oriri ex præcepto diligendi Deum, et se ipsum. Quod verum est, si non tantum accipiatur præceptum illud generatim, ut nobis divinorum præceptorum observationem injungens, sed ut speciatim actum divinæ dilectionis præcipiens. Præterquam quod justitia ipsa divini juris reparationem per media congrua præstandam a peccatore exigat.

3º. Per se loquendo, semel tantum peccator tenetur conteri de peccato. Neque enim ad poenitentiam iterandam eum adstringit justitia; eo quod Deus contritionem æque admittat, ac si esset æqualis satisfactio pro peccatis,

et debitum omne expunxisset: neque obligatur ex caritate; cum fecerit quod sufficit ad recuperandam gratiam, amicitiam et salutem æternam. His tamen qui sciunt, se Deum offendisse, suadet, ut actus poenitentia identidem frequentent: caritas enim est insatiabile desiderium placendi Deo. Quod si David, Petrus alique Sancti, qui de venia obtenta certi erant, nihilominus omnem vitam suam poenitentia impenderunt; multo magis decet nos *de propitiato peccato non esse sine metu,* ut Eccli. 5. v. 5. monemur.

ARTICULUS II.

QUANDONAM POENITENDUM?

83. *Nota I.* Præceptum poenitendi tempore aliquo determinato dupliciter potest obligare, per se nimirum, et per accidens. Ac per accidens quidem sive ex fine aliquo extrinseco et accidentario virtuti poenitentia, aiunt nos obligari in tribus casibus.

Eorum primus est instans exercitium actionis; quæ ob suam sanctitatem requirit statum gratia in operante, nec sine novo peccato exerceri in statu lethalis peccati potest: ut cum quis ex officio sacramentum est administraturus, aut sacramentum aliquod vivorum aditurus, hic ex omnium Theologorum sententia, si confessione prius non fuerit expiatus, ad perfectæ contritionis actum gravi præcepto obstringitur.

Alter casus a Soto et aliis Theologis ponitur vehemens tentatio et occasio peccandi, ad quam vincendam censeatur esse moraliter necessaria divina gratia et amicitia. Verum difficulter suadet, contritionem esse medium ita necessarium, ut inde oriatur obligatio ad illam eliciendam: nisi forte peccandi occasio consideretur ut diuturnior futura, et status gratia dicatur esse dispositio ad constanter resistendum. Ad vincendam enim quamcumque tentationem auxilium gratia excitantis et adjuvantis sufficit: nullum autem est principium, quo sufficienter suadeatur, tale auxilium sine gratia habituali obtineri non posse, aut non contrito negatum iri.

Deinde contritio est ipsissima victoria de imminente tentatione, et effectus auxilii gratia; ergo non potest esse medium ad obtinendum illud auxilium, quo tentatio superetur: imo cum minori gratia auxilio vinci tentatio posset, sola repudiatione vetiti actus vel objecti.

Tertium casum suggerunt Adrianus, Petrus Sotus, et Navarrus, malum reipublicæ impendens; pro quo avertendo cives Deo supplicare tenentur. Quanquam autem opinio ista pia oppido sit et probabilis, raro tamen quisquam obligabitur ad judicandum, hoc medium ad assequendum finem illum ita necessarium esse, ut citra novum peccatum negligi non possit. Nam præterquam quod sufficere videatur oratio, quæ non tam justitia precantium nititur, quam Dei misericordia, qui peccatores etiam audit; potest privatus quisque semper præsumere, in republica esse plures justos, quorum gratia Deus peccatores una orantes exaudiat.

Quidquid autem horum fuerit, indubitanter enuntiamus, in nullo illorum trium casuum committi duplex peccatum omissione contritionis, sed in primo tantum offendi in præceptum negativum non tractandi irreve-

rener sacramenta : in secundo committi peccatum tantum incontinentiæ, vel aliud, ad quod tentatio provocat ; aut saltem delinqui a tentato, dum se talis peccati periculo exponit, omissione mediæ, quod ad evitandum peccatum existimabatur esse necessarium : in tertio demum casu adversus caritatem peccari, qua patriam diligere, et ejus saluti studere tenemur. Qualiscumque enim necessitas in casibus istis extrinseca tantum est, ex alio, quam poenitentia præcepto orta.

Nota II. Per se autem obligari ad poenitendum certo tempore possumus vel ex præcepto positivo, vel ex rei natura. Et quidem S. Antoninus 2. p. tit. 9. c. 1., Marsilius, Angelus et alii existimabant, peccatorem teneri ad contritionem concipiendam saltem singulis diebus festis. Ast sententiam istam Medina, Dom. Sotus et Canus merito falsam et fundamento destitutam censent. Nam quod Angelus verbo *Feria* n. 41. citat illud Levit. 23. v. 27. et seqq. *Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras; anima quæ non fuerit afflicta die hac, peribit*, ad rem non est : tum quod ritus iste tantum decimo die mensis septimi, ac semel in anno fuerit præscriptus, ut ex l. c. et c. 16. v. ult. intelligimus; tum quod externa tantum poenitentia opera, ut ex c. 30. v. 14. Num. constat, injuncta fuerint. Quamquam hæc præcepta ceremonialia dudum cum lege ipsa desierint, et ex usu Ecclesiæ dies dominicus cæterique festi negative quidem sanctificentur vacando ab operibus servilibus, positive autem sacro Missæ officio, ut ex Conc. Agathensi præcipitur c. *Missas*, de Consec. d. 1., quod utrumque fideles peccatores sine contritionis actu præstare queunt.

Casum alterum affert Petrus Sotus Lect. 13. de Poenit., eos qui præscriptam jure ecclesiastico confessionem annuam peragere non possunt, ex eodem annuæ confessionis præcepto teneri saltem ad contritionem eliciendam : quia licet excusentur ab eo, quod facere non possunt, non tamen ab eo, quod servare possunt, excusabuntur. Sed et ista Soti opinio a vero abludivit. Ut enim Cajetanus verbo, *Contritio*, circa finem notavit, lex illa Ecclesiæ non requirit a fidelibus actum interiorem poenitentia, nisi in quantum illo opus est ad Poenitentia sacramentum vere obeundum : ad hoc autem perinde se habet contritio imperfecta sive attritio, ac perfecta contritio; ergo ubi copia confitendi toto anno non fuerit, non teneretur homo ad contritionem perfectam, sed sufficeret imperfecta : nam cum lex de Poenitentia sacramento distincta sit a lege contritionis, hanc minime determinat, nisi prout contritio in Poenitentia sacramento comprehenditur.

Ex eodem capite conficitur, fideles in dato casu ad neutram contritionem ecclesiastico præcepto teneri : nam cum actus interior secundum se non cadat directe sub Ecclesiæ jurisdictionem, Ecclesia præcipiendo, per se nec præcipit, nec determinat actum internum, nisi in quantum est necessarius ad actum externum; ergo cessante obligatione actus exterioris, cessat etiam obligatio actus interioris. Ita qui præscriptas ab Ecclesia preces vocales ob infirmitatem recitare non potest, non teneretur tunc temporis interius attendere ad Deum : qui vel ex voto vel ex præscripto sui ordinis qualibet hebdomade ad confessionem obligatur, et hoc præceptum defectu sacerdotis explere non potest, ad nullam contritionem tenebitur.

Nota III. Denique potest obligatio poenitendi determinari per se ex vi ipsius præcepti tantum, solaque ratione naturali seu connaturali gratia et

fidei. Cum autem certum sit, peccatorem in mortis articulo ad poenitentiam gravi præcepto teneri, eo quod hac neglecta post hanc vitam damnatio æterna instet; quæstione illa prætermissa, tres adhuc nobis sunt exponendæ, quarum *prior* est, utrum in mortis articulo teneatur peccator ad contritionem perfectam, etiamsi cum attritione cognita confessus fuerit, aut confiteri possit? *Alterà* quæstio, an poenitentiam usque ad mortis articulum differre liceat? *Tertiã*, an poenitentia præceptum statim post peccatum commissum ad contritionem obliget? rō statim hic non speculative, sed practice ac moraliter est accipiendum, hoc est, quamprimum patrati peccati occurrit cogitatio, atque sufficiens excitatio et opportunitas ad poenitendum, sine necessario impedimento : quo in casu peccatorem continuo ad detestandum peccatum gravi præcepto teneri, censuerunt olim Guillelmus Paris. L. de Sacramentis, Thomas Argentinens. in 4. d. 17. a. 4. ad 4., S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 2., Archidiaconus in c. *Ille Rex*, de Poenit. d. 3. Innocentius in cap. *Omnis utriusque*, de Poenit. et Remis., et plures theologiæ et juris canonici Consulti.

84. *Dico I.* Fideles in articulo mortis tenentur ad perfectam contritionem saltem virtualem de suis peccatis, licet norint, se illa cum attritione modo confessos eisque absolutos fuisse, aut adhuc confessuros. Ita Suaresius disp. 15. sect. 4. n. 19. contra aliquos, quibus adherere videtur Becanus.

Prob. I. Tenetur homo, priusquam moriatur, Deum super omnia diligere : ac licet aliquando in vita Deum dilexerit, hoc tamen præcepto iterandæ caritatis sæpius ac præsertim in mortis articulo obligatur, postquam per peccatum subsequens caritatem priorem retractavit. Hæc ergo obligatio cum non tantum sit ratione peccati, sed etiam per se et ratione caritatis intrinseca, manet etiam in mortis articulo, ut obiturus se et omnia in Deum referat, non secus ac si denuo procreatus esset. Non potest autem esse, ut is, qui Deum vere amat, peccata, quorum recõrdatur, non illico detestetur. Quod si tamen actum caritatis Dei elicere conatus fuit, non videtur ad alium contritionis perfectæ actum obligari; quia obligationi poenitentia formalis jam satisfactum fuit in sacramento Confessionis, et justificationem per actum amoris, qui poenitentia virtualis dicitur, certius jam fuit assecutus.

Prob. II. Talis homo non tantum peccaret contra caritatem Dei, sed etiam contra amorem et misericordiam, quam sibi ipse debet, omittendo actum ad salutem necessarium. *Quod si*, inquit Suaresius, *contingeret, hominem in eo casu mori sine actu amoris, vel contritionis, et sine novo peccato, vel quia raptus est, priusquam hoc advertere posset, vel quia illos omisit ex probabili ignorantia obligationis seu juris aut facti : quia videlicet conatus est ad talem actum habendum, et putavit se habere, re tamen vera non habuit : in his, inquam, casibus, ille homo salvabitur : quia tum necessitas talis actus non est necessitas mediæ in re ipsa omnino requisiti, sed præcepti, a cujus transgressione tunc excusabitur propter aliquam ex dictis circumstantiis : et ideo non amittit justitiam, quam per sacramentum consecutus fuerat; ergo ex vi illius salvabitur.*

85. *Dico II.* Peccator gravi obligatur præcepto, ne poenitentiam ad mortis

articulum differat; quamvis hoc præceptum non videatur obligare, nisi ratione caritatis.

Prob. 1^a pars. Scriptura dilationem istam prohibet. Eccli. 5. v. 8. *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius.* Eamdem pœnitentiæ dilationem Deus graviter reprehendit Isaïæ 65. v. 12. *Omnes in cæde corructis, pro eo quod vocavi, et non respondistis.* Hinc S. AUGUSTINUS serm. 57. de tempore (al. 255. in app.): *Pœnitentia, inquit, quæ ab infirmo petitur, infirma est: quæ autem a moriente petitur, timeo, ne et ipsa moriatur.* Et serm. 71. ad Fratres in eremo (opp. t. 10. p. 752. Edit. Lovaniensis.): *Satis, inquit, alienus est a fide, qui ad agenda pœnitentiam tempus senectutis exspectat.*

Deinde non licet rem omnium maximam et difficillimam, cujusmodi est salus æterna, per pœnitentiam recuperanda, in illius momenti angustias conjicere; cum hora mortis sit incertissima, vires corporis et animi fractæ, aut nimium debilitatæ, et homo ad actiones bonas minime omnium idoneus. Quare S. HIERONYMUS in illud Ps. 37. *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ, addit, quia nolebam agere pœnitentiam.* (opp. t. 7. in appendice.)

Quod si homines sanctissimi continuis precibus, jejuniis et lacrymis id sollicite student, ut gratiam finalem a Deo obtineant: quomodo prudenter eam sperabit, qui flagitiis jugiter immersus dedita opera statuit, in ultimo mortis articulo demum per pœnitentiam ad Deum converti; cum tali homini pœnitentia tunc fere sit impossibilis: vix enim adduci in extremo illo momento potest, ut absolute et efficaciter detestetur, et proponat deinceps, si convalesceret, vere cavere peccata, quibus adeo pertinaciter adhæret. Quam ob causam B. CHRYSOSTOMUS hom. 80. ad populum (opp. t. 6. p. 189. A. edit. latina Duçæi.): *Tam bona, inquit, quam mala, cum fuerint nimium immorata, potentiora sunt.* Et S. BONAVENTURA Tom. 1. Opusc. Collatione de contemptu seculi: *Hoc, inquit, teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita.*

Prob. 2^a pars. Non licet differre expletionem præcepti de diligendo Deo usque ad finem vitæ; eo quod tanta dilatio aperte repugnet fini hujus præcepti, qui est convenienter conjungere hominem cum fine suo ultimo, eumque dirigere, ut possit vitam recte instituere. Non potest autem tempore debito servari præceptum dilectionis Dei a peccatore, per se loquendo, quin contritionem de peccatis eliciat; ergo ratione præcepti caritatis Dei nemini licet differre pœnitentiam usque ad mortis articulum.

Quod autem ratione solius caritatis non liceat tantum differre pœnitentiam, inde probatur: quia neque titulo justitiæ, nec caritatis propriæ teneatur ad pœnitentiam antevertendam: ratio enim, qua mox probabimus nos utroque hoc præcepto non statim a commisso peccato ad pœnitentiam obligari, probat etiam de quocumque determinato vitæ tempore, quamdiu non imminet mortis periculum.

86. *Dico III.* Præceptum pœnitentiæ non statim ab admissio peccato obligat ad actum, etiamsi opportunitas sit continuo id præstandi.

Prob. I. S. THOMAS in 4. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4. ait quidem teneri hominem ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt, ita tamen

sententiam suam moderatur: *Cum præcipue in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurere.* Et in solutione ad 2. *Non est, inquit, de necessitate salutis corporalis, quod statim medicum quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit: et similiter est in morbo spirituali.* S. BONAVENTURA ibidem scribit, teneri hominem ad contritionem, quando recogitat culpam commissam et Dei offensam, vel quando recogitare debet, sicut in hora mortis, vel in aliquo alio simili periculo. Eundem casum mortis vel periculi assignat Durandus q. 10. n. 5., Alensis, Angelus, Adrianus, Sotus, Medina, Canus, et alii, quos refert et sequitur Suarez disp. 15. sect. 5.

Prob. II. Præcepta affirmativa, quale est præceptum pœnitendi, nec statim, nec semper obligant: neque ratio, neque S. Scriptura evincunt dari tale præceptum subitæ hujus pœnitentiæ. Ecclesia autem tantum semel in anno injungit suis Pœnitentiæ sacramentum, tanquam certissimum medium reconciliationis cum Deo: neque fideles etiam tenerioris conscientiæ se accusant dilatæ ad modicum tempus pœnitentiæ: neque Confessarii in hanc dilationem inquirent.

Denique si quæ esset talis obligatio, oriretur ex titulo triplici, justitiæ, caritatis Dei, aut caritatis propriæ: ex nullo autem horum capite obligatio statim pœnitendi proficiscitur; ergo.

Prob. Assumpt. Lex justitiæ, in quantum affirmativa est, satisfactionem pro illata Deo injuria aliquando quidem per pœnitentiam, non autem continuo exhibendam præcipit: prout autem est negativa solum post factam primam injuriam, addi alteram, et priorem augeri vetat: atqui ex eo, quod non statim satisfiat, non augetur injuria prior, neque commissum ante peccatum crescit; ergo.

Eadem fere ratio apparet in præcepto caritatis, quod secundum se est affirmativum: quatenus vero negativum, prohibet duntaxat odium Dei, et actus divino amori repugnantes: nec ulla ratione sufficiente ostendi potest, extare præceptum peculiare, quod interdicitur, ut ne quis ullo unquam tempore statum illum inimicitæ habitualis in se permittat.

Nec magis repentinæ hujus pœnitentiæ obligatio demonstratur ex legē caritatis, quam quisque sibi ipse debet: argumenta enim, quæ in hanc rem excogitata fuerunt, S. Thomas aliique Theologi satis commode dissolvunt.

87. *Obj. I.* Deus iis gravissima mala minatur, qui noluerunt respicere, ut apparet ex testimoniis in conclusione 2. allatis: item Jerem. 8. v. 6. et seqq.; ergo dilatio pœnitentiæ est peccatum.

R. *D. Cons.* Dilatio quælibet pœnitentiæ est peccatum N. dilatio pœnitentiæ usque ad mortis articulum est peccatum C. non quidem contra justitiam, aut contra præceptum caritatis propriæ, sed contra caritatem, quam Deo debemus. Duo sunt pœnitentiæ officia, primum desistere a peccato et ab affectu ad illud, alterum per veram contritionem ad Deum positive converti: prius dicitur aversio negativa a peccato, posterius est insuper aversio positiva per sufficientem retractationem. Prius statim fieri Deus jubet; et quia obedire Israelitæ contempserunt, ideo minabantur Prophetæ mala, quibus deinde fuerunt obruti. Posterius nec Scriptura nec Patres imperant statim fieri, sed suadent tantum et hortantur. Quo etiam tendit S. THOMAS 2. 2.

q. 62. a. 8. in 0. dicens : *Manifestum est, quod nec modicum tempus licet in peccato morari; sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccli. 21. Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Item ex ejusdem S. Doctoris testimonio conclusione 3. adducto liquet, dari articulos, in quibus sine peccati remissione et contritione novum peccatum non incurritur.

Inst. 1. Non licet exponere se periculo aeternae damnationis et novorum peccatorum, aliisque malis gravissimis : neque enim potior nobis debet esse salus corporis quam animae : atqui qui in peccato persistit, exponit se periculo damnationis et peccatorum, est objectum divinae irae, etc.; ergo.

R. D. Ant. Non licet se his malis exponere committendo ipsum peccatum primo *C.* perseverando ad tempus in statu peccati, in quo non est periculum proximum damnationis et novorum peccatorum *N.* Qui committit peccatum, malis hisce omnibus eisque gravissimis se reddit obnoxium ; qui vero persistit in statu peccati, mala ista tantum supponit. Sicut ergo is solum peccat, qui sibi studiose mortem infert, aut morbum vel mutilationem ; non vero qui cunctatur a morbo sanari, cum id fieri sine proximo vitae, aut gravioris morbi periculo potest : ita licet peccator, speculative loquendo, differendo poenitentiam, periculo alicui damnationis se exponat ; quia tamen periculum istud non est proximum, sed remotum, non censetur ei se moraliter exponere, adeoque saltem non graviter peccare.

Inst. 2. Tenemur statim corripere fratrem, quem novimus esse in peccato ; ergo multo magis non ipsos a peccato eximere : plus enim tenemur nos ipsos, quam proximum diligere, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 4.

R. N. Ant., quod tantum duobus in casibus tenet. 1°. Quando peccatum proximi continuatur. 2°. Quando subit periculum aut occasionem peccati novi. Eodem modo pro casu priore tenetur peccator ab actu statim desistere ; pro posteriore ad contritionem converti, si preces avertendo periculo non suffecerint. Præterea B. Augustinus L. 1. de Civit. c. 9. docet, posse nos aliquando correptionem fraternam differre, quando vel id fieret cum propria jactura, vel certe postea commodius fieret in utilitatem fratris.

88. *Obj. II.* Quilibet ex justitia obligatur proximo quamprimum restituere rem furto ablatam ; ergo ex eadem virtute tenetur peccator per poenitentiam perfectam Deo quamprimum restituere honorem peccato ablatum.

R. Const. Præceptum restituendi statim obligat, utpote negativum, et plane idem cum præcepto non furandi, quo non tantum rei alienae contrectatio prohibetur, sed ejusdem etiam detentio : continuata enim carentia rei propriae est quasi continuum proximi nocumentum, tantoque gravius moraliter, quanto privatio est diuturnior ; facitque domino perpetuam injuriam, quem invitum ab rei suae usu impedit. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 8. in 0., ubi ait, statim teneri hominem ad restituendum, quia statim tenetur peccatum deserere, et nunquam licet, vel per modicum tempus, in peccato morari, nimirum in peccato actuali ; quia non restituere per se ac de se actuale peccatum est : licet enim non sit actio physica, est tamen actio moralis capax prohibitionis, perinde ac esse armatum contra præceptum principis. In cæteris autem peccatis diversa est ratio : nec enim ullum eorum continuatur, ut sit actuale, sed restat post actum sola macula per modum habitus. Quamvis enim Deus peccatis nostris offendatur, non tamen privatur re

aliqua sibi utili, nec detrimentum aliquod in genere patitur ; sed solum privatur honore et jure sibi debito ut finis ultimus est, et supremus gubernator. Igitur post actum injuriæ nullum ipsi nocumentum accrescit ex eo quod satisfactio non continuo exhibeatur, nec peccator apud se proprie detinet quoddam bonum Deo utile, neque illum impedit ab usu rei suae. Ex quibus conficitur, præceptum poenitendi affirmativum proprie esse, quo jubemur, nos, abstersa peccati macula, Deo reconciliare ; quod, sicut cætera affirmantia præcepta, non repente, sed suo tempore, ad executionem nos obstringit.

Inst. Qui cunctatur offensum patrem aut dominum placare, censetur offensam contemptu augere ; ergo etiam videtur Dei amicitiam saltem virtualiter et interpretative spernere, qui poenitentiam comperendinat.

R. N. Cons. Amissa Dei amicitia non censetur dilatione contemni, nisi eo tempore, quo lex urget eam quaerere, aut recuperare. Idcirco etiam Deus, qui peccatoris animam probe inspicit a pravo affectu desistentis, non præsumit ex dilatione poenitentiae obstinatam voluntatem, et perseverantem actu contemptum offensi ; nec se habet ut homines, qui a signis exterioribus tantum judicare solent. Unde etiam qui fide excidit, non tenetur per se, ad statim eam recuperandam, sed tantum per accidens, ut resistat tentationibus, quando opus est.

89. *Obj. III.* Sine gratia habituali nemo diu a peccatis lethalibus abstinere potest : *peccatum enim quod per poenitentiam non deletur, est peccatum et causa peccati ; ... justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quae flendo et corrigendo noluit emendare quod fecerit, peccatum incipiat peccato cumulare,* ut inquit Gregorius M. hom. 11. in Ezech. (opp. t. 1. p. 1289. n. 24.) ; ergo ad vitandum relabendi periculum, tenetur peccator ex præcepto caritatis erga Deum et seipsum illico se divinae gratiae restituere.

R. D. Cons. Tenetur se gratiae restituere quamprimum peccatum commisit *N.* quamprimum hoc periculum advertit proxime ingruere, et nullum aliud superesse medium ab iterato lapsu cavendi *C.* Verum et hoc est tantum ex accidente et præter statum quaestionis. Ad hæc vix reperitur unus, qui animadvertat momentum illud, quo tantum temporis est evolutum, ut moraliter amplius sine statu gratiae immunis a relapsu consistere nequeat : quod si tamen periculum hujusmodi perciperet, teneretur continuo ad agenda poenitentiam, sed, ut dixi, per accidens solum.

Inst. 1. Non licet peccatori velle perseverare in statu peccati et inimicitiae Dei ; ergo neque licet ei, nolle aliquo tempore poenitere.

R. N. Cons. Licet aliquid nolle aliquo tempore facere, quo illud nondum tenemur facere : velle autem positive perseverare in peccato et inimicitia Dei, est positive et formaliter velle aliquid per se et intrinsece malum, nempe esse objectum odii divini, ac proinde est velle ipsam malitiam. E contra nondum poenitere non est formaliter in peccato perseverare, sed tantum consecutive ; neque est per se et intrinsece malum, sed tantum per accidens, quando urget præceptum.

Inst. 2. Status inimicitiae cum Deo est objectum per se ac intrinsece ma-

lum; ergo nemo potest eum velle sine peccato. Atqui nolle pœnitere, est velle manere in statu illo; ergo est malum.

R. D. Cons. Ergo nemo potest eum sine peccato velle positive, in eo sibi complacendo, eum approbando et eligendo C. nemo potest eum velle permissive, illum ad tempus permittendo N. Dist. etiam subsumpt. Positive velle non pœnitere, est positive velle manere in illo statu C. permissive se habere circa omissionem pœnitentiæ, eam differendo, est positive velle manere in illo statu N. Non omne id licet positive velle, ad quod licet se habere permissive: nec enim Deus ipse potest velle peccata, quæ permittit: et nos multa proximi mala non tenemur impedire, quæ velle non licet.

ARTICULUS III.

DE IMPŒNITENTIÆ PECCATO.

90. Nota. Impœnitentia est negligentia vel ommissio pœnitentiæ. Hæc si voluntaria non sit neque directe, neque indirecte, vitio nemini vertetur: peccatum enim, ex celebri illo B. Augustini proloquio, aut voluntarium est, aut peccatum non est. Quapropter qui ex invincibili ignorantia, naturali oblivione, inconsideratione, aut alia simili impotentia actum pœnitentiæ tempore præscripto omiserit, peccatum novum impœnitentiæ non committet: impœnitentia enim ista, quasi materialis est.

Ut autem formalis impœnitentia sit, debet esse actus voluntarius, quod dupliciter contingere potest; primo directe, cum quis actu expresso voluntatis destinat pro objecto omittit pœnitentiam eo tempore, quo agi ex præcepto deberet. Si ergo voluntas ex parte objecti feratur in omissionem pœnitentiæ pro eo tempore, pro quo præceptum obligat, etiamsi diu ante destinatum lege tempus id decreverit, impœnitentiæ peccatum admittet, saltem secundum affectum: quamvis enim præceptum affirmans non obliget ad exercendum continuo actionem injunctam, prohibet tamen affectus sibi repugnantes, quo modo vim habet præcepti negativi.

Indirecte vero seu interpretative ommissio voluntaria pœnitentiæ accidit quando ex negligentia culpabili actus omittitur tempore debito, vel ex ignorantia vincibili vel ex certa scientia, sine voluntate quidem directa omittendi, cum voluntate tamen agendi, vel retinendi aliquid impossibile cum præcepto.

91. Dico. Impœnitentia, præsertim finalis, est speciale peccatum, idque unum ex gravissimis.

Prob. 1^a. pars. Si datur speciale præceptum pœnitendi; ejus violatio est peccatum speciale: atqui datur præceptum speciale pœnitendi; ergo. Major est evidens ex eo, quod peccatum sit legis prævaricatio. Minor item constat ex articulo 1. hujus capituli, et ex conclusione art. 3. cap. 2. Neque ista solum accipi debent de proposito directo non pœnitendi, sed etiam de neglectu pœnitentiæ indirecte seu interpretative voluntario: si enim in omni alia omissione peculiaris præcepti illud voluntarium sufficit ad specialem contrahendam malitiam, sufficiet etiam in omissione indirecte volun-

taria præcepti pœnitendi, cujus malitia moraliter non est diversa a malitia omissionis directe intenta.

Confirmatur thesis 1^a. ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 14. a. 2. ait, impœnitentiam prout numeratur inter species peccati in Spiritum sanctum, non dicere solam permanentiam in peccato, sed propositum non pœnitendi: et in 2. dist. 43. significat, unicum modum committendi hoc peccatum speciale, esse per formale propositum.

Conf. 2^a. Propositum non pœnitendi est specialis actus voluntatis tendens in objectum habens specialem malitiam moralem, neque aliam nisi impœnitentiæ: nam si quis est fornicatus, et alius pejeravit, et postea pœnitere nolint, non contrahent novam malitiam fornicationis, aut perjurii; sed uterque unicum ejusdem speciei impœnitentiæ peccatum, licet peccata, ob quæ pœnitentiam nolunt agere, diversæ speciei sint.

Pars 2^a. sequitur ex modo dictis. Talis enim non ad tempus, sed in perpetuum spernit amicitiam, beneficentiam et gloriam Dei: atque ita peccat ex proposito in Deum Patrem, qui ipsum creavit et vocavit; *Filium Dei conculeat, sanguinem testamenti pollutum ducit, in quo sanctificatus est; et Spiritui gratiæ contumeliam facit*, ut habetur Hebr. 10. v. 29. Totam ergo SS. Trinitatem gravissime offendit. Denique sui hostis infensissimus immensa et infinita mala sibi sponte accersit.

92. Obj. I. Si impœnitentia est speciale peccatum, quilibet impœnitens necessario cum infinitis peccatis moreretur: nam de ipso etiam peccato impœnitentiæ teneretur dolere, cujus neglectu nova impœnitentia se obstringeret, de qua iterum teneretur pœnitentiam agere, sicque peccaret in infinitum.

R. N. sequelam utramque. Qui peccati unius, v. g. homicidii reus morte improvisa abripitur, quin ante de pœnitentia cogitaverit, damnatur ob unicum duntaxat peccatum homicidii. Qui vero statuit non pœnitere, non tenetur, dum in hoc malo proposito perseverat, de eo pœnitere: impossibile enim est peccare simul et pœnitere.

93. Obj. II. Omnia peccata mortalia adversantur justitiæ et caritati Dei et sui ipsius; ergo impœnitentia non est speciale peccatum contra justitiam, cujus species est pœnitentia, et contra caritatem, sed malitia illius transcendit omnia peccata mortalia.

R. D. Ant. Omnia peccata mortalia adversantur justitiæ et caritati, malitia aliqua communi et generica C. malitia quadam peculiari, et ultima quadam differentia specifica soli proposito non pœnitendi propria N. Sic Dist. Cons. et præcipue ejus 2^{am}. part. Impœnitentia malitia generica, materialiter eadem et communis transcendit omnia mortalia peccata C. impœnitentia malitia specifica, formaliter diversa et propria transcendit omnia peccata mortalia N. Quamvis inobedientiæ malitia transcendat omnia peccata mortalia; qui tamen de industria statueret non obedire Deo, peculiare peccatum inobedientiæ, etiam in confessione explicandum committeret. Eodem modo licet omne peccatum adversetur caritati et justitiæ; si quis tamen proponeret non pœnitere, ultimæ ac specificæ differentie peccato impœnitentiæ se obstringeret, cujus malitia in eo consistet, quod specia-